

Tentamen medicum inaugurale de hepatitide acuta ... / Eruditorum examini subjicit Alexander Broadfoot.

Contributors

Broadfoot, Alexander, active 1803.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cnp95ca7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

HEPATITIDE ACUTA.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
HEPATITIDE ACUTA;
QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER BROADFOOT,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOCIUS.

*Rostroque immanis vultur adunco
Immortale Jecur tundens, facundaque pænis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore : nec fibris requies datur ulla renatis.*

VIRGIL.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

M DCCC III.

TESTAM. N. M. M. M.

IN U. S. M. M. M.

HEPATITIS. ACUTAE.

1890.

IN U. S. M. M. M.

D. GEORGE B. B. B.

ACUTAE. ACUTAE.

1890.

IN U. S. M. M. M.

HEPATITIS. ACUTAE.

1890.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

ALEXANDER BROADBENT.

1890.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

HEPATITIS. ACUTAE.

JOHANNI GRAHAM,

PRÆFECTO NAVALI,

FRATRI OPTIMO,

PROPTER MULTA BENEFICIA

IN EUM COLLATA ;

HOC EXIGUUM SED SINCERUM

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

DAT DICAT DEDICATQUE

AUCTOR.

NECNON,
JACOBO SUTHERLAND,

ARMIGERO

DE DUFFUS,

NON MINUS

MORUM ELEGANTIA,

QUAM BENEFICIENTIA

ORNATO ;

HOCCE PERTENUE

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM
DIATRICHUS ORCOTI
DENIQUE,
THOMÆ ARROL,

MERCATORI,

NON MINUS

INDUSTRIA,

QUAM

MORUM INTEGRITATE,

INSIGNI;

HOC OPUSCULUM,

DICAT

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 6. lin. 10. *pro* imponunt. *lege* imponit.

— 12. — 6. — in diaphragmate *l.* ex diaphragmate

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

HEPATITIDE ACUTA.

INFLAMMATIO rarò ante ætatem pubertatis
hepar tentat, utcunque causæ quæ ad
eam concitandam valeant, admotæ fuêre * ;
et fœminæ, ex vitæ genere quod plerumque
degunt, maribus ei multò minùs opportunæ
evadunt.

A

In

* GIRDLESTONE, Dissert. Inaug.

In regionibus calidis, et præsertim in India Orientali, Hepatitis multò frequentius sese ostendit. Homines ex Europa, in Indiam transvecti, sæpiùs quàm incolæ, hoc malo plectuntur; quod non solùm ad vitam magis solutam, quàm plerumque ducunt, sed ad corpus caloris æstuantis minùs patiens, attribui debet.

In hac regione, ex abusu liquorum spirituosorum, qui nuperis annis tantùm invaluit, Hepatitis quàm olim sæpiùs grassatur; chronicam autem speciem ut plurimum exhibet.

Definitio hujus mali infrà tradita, concinna admodum, et accurata, a D^{re} CULLEN prolata est. “Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor; sæpè pungens pleuritici instar, sæpiùs obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis sicca; vomitus; singultus.”

Nonnulli

Nonnulli auctores, haud parvi nominis, acutam jecinoris inflammationem ad membranam id cingentem solummodò pertinere affirmarunt; abscessus autem qui nonnunquam altè in substantia ejus delitescunt; et pars interna inflammatione manifestè correpta, morbum substantiam ejus pervadere planè testantur.

Totum jecur nonnunquam laborat; sæpissimè autem morbus parti peculiari insidet; et vitium modò partem convexam, modò concavam, occupat; ex quo facies morbi diversa oritur.

Hepatitis acuta, haud secus ac aliæ graviores inflammationes, synochâ etiam ab initio stipatur.

Morbus languore et rigore, modò ita levis, ut ægrotantem omninò effugiant, obrepit; sensus caloris cum frigore alternantis, subindè percipitur; et mens præter solitum languet.

Brevi

Brevi in hypochondrio dextro dolor, plùs minùs gravis, subsequitur ; nonnunquam ita acutus est, ut dolorem in pneumonia perceptum æmulatur ; sapiùs obtusus, cum ponderis plenitudinis et tensionis sensu, in regione hepatis comitatur. Dolor, inspiratione pleniore, tussi vel vomitu semper augetur ; et æger haud rarò non nisi supinus decumbere potest.

Si morbus in superficie convexa hepatis sedem figerit, æger de dolore pungente ad summum humeri dextri, quo motus ejus difficiliores fiunt, conqueritur. Pulmones quoque in morbi consensum rapiuntur ; respiratio enim difficilis evadit ; et tussis plerumque sicca, nonnunquam tamen humida, ægrotantem vexat ; sæpè in neutrum latus decumbere potest ; faciliùs autem in latus affectum : singultus quoque sæpè recurrens, haud parum molestiæ creat.

Si morbus concavam superficiem hepatis invaserit, ventriculus mali fit particeps ; et
nausea,

nausea, interdum vomitus biliosus, et cardialgia ardens, pertinaciter urgent: Vultus languidus squallet; oculi luridi, nitore orbati, sæpè flavedine tincti apparent; quæ brevi totam corporis superficiem deturpat. Perspiratio nonnunquam ex statu solito defleat, et lintea colore flavo tingit; et sanguis, ex vena detractus tunicâ coriaceâ flavescente nonnunquam coopertus est. Urina plerumque quàm sanitate substante, parciùs excernitur, et præter solitum rubet; interdum etiam flavescit. Alvus ferè firmiter compressa manet, et quæ dejiciuntur albæ apparent; aliàs autem diarrhœa biliosa urget. Arteriæ sub initio ut plurimum pleniùs et duriùs micant; morbo autem provecto, nonnunquam sese demittunt, et debiliores et frequentiores evadunt: fauces arent, et sitis plerumque vexat: lingua albescit, et tunicâ albidâ obducta est; et gingivæ ferè indurescunt et tument.

Cursus hujus morbi haud parùm variat. Si non tempestivè remediis ritè adhibitis ei occurritur,

occurritur, signa brevi ingravescent; hectica, sudoribus matutinis olidis comitata, supervenit; pulsus fit debilis et frequens, interdum intermittens; diarrhœa colliquens, signum haud parùm exasperans accedit; vultus collapsus, quàm penitùs vires deficiunt, lugubrè depingit; delirium interdum adest, extremæ corporis partes frigescunt; et dura quies, haud insperata, vitæ et miseriis brevi finem imponunt.

DIAGNOSIS.

PNEUMONIA, Gastritis, Enteritis, Rheumatismus acutus, et Hepatitis chronica, morbi sunt, inter quos et Hepatitidem acutam diagnosin stabilire necesse duximus.

Pneumonia, interdum hunc morbum mentitur, et errandi ansam præbeat. In Hepatitide autem dolor minùs pungens est; pressurâ augetur; et cum sensu tensionis et plenitudinis

nitudinis in hypochondrio dextro stipatur :
tussis et dyspnœa minùs molesta sunt ; adest
singultus, et decubitus in latus sinistrum dif-
ficilis ; languor in ore sedet ; et oculi hebes-
cunt ; sæpè quoque signa icterica sese osten-
dunt ; et gingivæ induratæ tument. Eaten-
dum autem est, in quibusdam exemplis, dis-
crimen quod inter hos morbos intercedit,
haud ita in aperto esse : si autem ad histo-
riam morbi et ad causas excitantes ani-
mum advertimus, hæ ferè ad dubium tollen-
dum satis valebunt.

In Gastritide, diversa est sedes doloris ; et
ardor in epigastrio urget ; anxietas circa præ-
cordia molestissima adest ; et in ventriculum
assumpta, statim rejiciuntur : vires subito
collabuntur ; et febris ad typhum accedit.
Dolor circa umbilicum torquens, et febris
typhodes, Enteritidem satis ab hepatitide se-
cernunt ; signa quoque biliosa in priore de-
sunt.

Ex

Ex Rheumatismo acuto, pondere et plenitudine in hypochondrio dextro, et dolore fixo in musculorum cursum minimè lancinante, facilè separatur.—Ex omnibus his morbis, hepatitis acuta dolore ad summum humeri dextri plùs minùsve gravi, aliis signis eodem tempore perpensis, internoscitur.

In Hepatitide chronica, omnia signa multò leviora et minùs distincta sunt ; febricula per intervalla solummodò vexat ; dolores in regione hepatis et ad humerum, post pastum præsertim, sentiuntur ; et morbum in longum protractum, notabili virium jacturâ comitatur.

MORBI TERMINATIONES.

Hic morbus vel resolutione finiri potest ; vel in hepatitidem vetustam, suppurationem, scirrhum, rarissimè in gangrænam, abit.

Resolutio

Resolutio remediis in auxilium tempestivè vocatis plerumque debetur; nonnunquam autem quibusdam evacuationibus sponte solvitur morbus: hoc modo, diarrhœa biliosa; urina uberiùs reddita et turbida; vomitus, mucive expectoratio libera; fluxus sanguinis ex vasis hæmorrhoidæis vel e naribus, in diversis casibus exitum felicem morbo attulerunt.

Nonnulli hepatitidem acutam in alteram speciem rarissimè desinere, sed potiùs hanc in illam abire, voluerunt; scriptores autem nuperi multa adduxerunt exempla, ubi hoc modo species acuta terminâsse videtur; et optimè innotuit, post sanguinem liberiùs in morbo acuto detractum, tantam in chronicam adesse proclivitatem, ut remedia efficacissima necessaria fiunt, ut huic obviam eamus.

Chronicæ Hepatitidi, Acutæ supervenientis rationem reddere non ita facile est; ex iis autem quæ in aliis inflammationibus eveniunt, et ex medendi ratione, eam ex vasis

hepatis relaxatis pendere, concludere liceat : verisimile enim est, talem vasorum statum ex nimia et diuturna distensione induci ; qua fit ut lymphæ coagulabilis in substantiam hepatis effundatur ; et forsân hydrargyrus, passim usurpatus, ad hanc resorbendam valeat.

Morbus chronicus qui acuto supervenit, haud semper facilè ex debilitate morbum acutum subsequente, vel ex dyspepsia, secerni potest. Etsi morbus resolutione finiri videtur, salutis munera tardissimè redeunt. Facies pallescit, et gravi ægritudine insignitur ; lingua albida est, et gingivæ induratæ remanent ; plenitudinis et oppressionis sensus adhuc circa regionem hepatis sentitur ; dolor plerumque obscurus, pressurâ admotâ magis evidens evadit, et ventriculo onerato præsertim sese manifestat ; quo tempore febri-cula sæpè accenditur : cibi appetentia plerumque deficit ; nonnunquam autem hujusmodi ægrotantes cibum satis avidè appetunt :

si

si autem diætâ pleniore usi fuerint, dyspepsiæ signa, et alia morbi indicia, recrudescent.

Hepatitis chronica ferè lentè admodum ad finem decurrit: vires autem gradatim imminuuntur; omnia signa ingravescent; et febris hectica, cum sudoribus nocturnis, accedens, mortem appropinquantem denunciant.

Hepatitis acuta haud rarò in suppurationem abit; quæ signis usitatis stipatur: tremores et horrores, sudoribus hecticis comitati, nunc accedunt; pulsus fit debilis et frequens; et dolor minùs gravis pulsatilis evadit. Si abscessus anteriorem et convexam partem hepatis occupat, tumor et fluctuatio sæpè percipi potest; et vires maximè convelluntur.

Hoc signa nonnunquam mitigantur, si pus, adhesionem ad parietes abdominis factâ, viam foras sibi aperire potest; vel si duodenum vel colum abscessui vicina fuerint, in has partes effundi,

effundi, et per intestina e corpore eliminari potest; interdum etiam per ductus biliarios in intestina descendit. In nonnullis exemplis, pus in ventriculum prorumpit, et vomitu rejicitur*; sæpè autem, suppuratione factâ, pus vel in cavum abdominis†, vel in diaphragmate eroso, in thoracem‡, pessimo cum eventu, prodit.

In quibusdam exemplis, inflammatio et suppuratio ad substantiam pulmonum propagatur, et æger phthisi immedicabili occumbit.

Scirrhus hepatidem chronicam, sæpiùs quàm acutam, subsequitur: Scirrhus hepatis nonnunquam per plures annos sine ullo incommodo subesse potest; sæpiùs autem hepatitidi chronicæ,

* MORGAG. Epist. xxxvi. et LIND. pag. 96.

† Id. Ibid.

‡ Id. Ibid.

chronicæ, ictero pessimi generis, vel hydropi insanabili, originem præbet.

Hic morbus rarissimè in gangrænam transit. Vires subito prostratæ; pulsus debilis, et intermittens; facies cadaveri similis; sudores frigidi e partibus prorumpentes; siquando supervenit accessum ejus, prænuntiunt.



CADAVERUM SECTIONES.

PAUCA solummodò mutationum, ex statu sano quas hepar cadavera inspicientibus ostendit, hîc veniunt perpendenda; et quæ aliquid lucis super diversas terminationes morbi affundunt, præsertim percurrere liceat.

Hepar interdum inflammatione tentatum reperitur*, quæ nunc, membranam solam,
sæpiùs

* MORGAG. Epist. xxxiv. 21., et xxxv. 12.

sæpiùs autem substantiam ejus quoque occupat *. Tumores, variæ magnitudinis, per substantiam hepatis huc illuc sparsi, nonnunquam inventi fuêre †. Exudatio lymphæ coagulabilis superficiem ejus interdum obducit, et causa est quare partibus vicinis adhæreat.

Tubercula quæ pus continent, in diversis partibus substantiæ hepatis sæpè detecta fuêre ‡: nonnunquam pus, magnâ quantitate collectum, maximam hepatis partem || occupat; et etiam viam in thoracem, et in substantiam pulmonum, sibi aperire videtur §.

Hepar scirrho laborans sæpè detegitur; qui vel in uno lobo continetur, vel totam ejus substantiam

* BAIL. pag. 136. 139. et 140.

† SAUNDER. pag. 231.


‡ MORGAG. Epist. li. 20.; et BAILLIE, pag. 147.

|| Ibid. Epist. xxxvi. 4.; et BAILLIE, pag. 141.

§ LIND. pag. 96.

substantiam pervadit: tunc multum indurescit, et color ejus pallidior fit; mole plerumque augetur; nonnunquam tamen immi-
nuetur.

Hepar gangrænâ ferè nunquam afficitur. MORGAGNI exemplum memoriæ prodidit, ubi lobus sinister sphacelo planè correptus fuit*; et in quibusdam aliis epistolis, de livido colore hepatis mentionem fecit.



RATIO SYMPTOMATUM.

Hypochondrii dextri tensio et dolor,—ex hepate mole adaucto, et ex nimia hujus sensibilitate, proficisci videntur; inflammatio quoque ad peritonæum nonnunquam prorepens, hæcce signa multum intendit.

Dolor

* MORGAG. Epist. xxxiv. 25.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri.—De hoc signo auctores multum ambigunt; nec adhuc pro certo constat cui attribui debet. Forsan maximè urget, cum illa pars hepatis quæ proxima diaphragmati, nullâ tunicâ ex peritonæo interpositâ, laborat; et tunc irritatio, ope nervi phrenici, ad humerum jaculatur*.

Decubitus in sinistrum latus difficilis,—ex ligamentis inflammatione correptis, auctam sensilitatem adeptis, et in hac positura præter solitum tensis, oriri videtur.


Dyspnœa, tussis et singultus.—Hæc ex diaphragmate et pulmonibus, in morbi consortium raptis, pendere videntur: Hepar quoque mole adductum, descensum diaphragmatis impedit, et hoc modo dyspnœam augeat.

Vomitus,—vel ad consensum qui inter ventriculum et hepar intercedit, relegandus est; vel

* BARCLAY, Prælection. Edin.

vel ex inflammatione usque ad eum extensa oritur.

Flavedo cutis,—ex inflammatione ductum choledochum vel hepaticum comprimente, egressum bilis in duodenum impediēte, repetenda est : nonnunquam quoque inflammatio, ductus occupat et obstruit.



CAUSÆ REMOTÆ

plurimæ sunt, nec semper facilè est inter eas quæ homines morbo opportunos reddunt, et quæ malum concitant, accuratè statuere.

Diuturna commoratio sub cœlo calidiorē, diætā lautior, et liquorum spirituosorum abusus; scirrhus quoque hepatis, et hepatitis chronica, inter causas quæ homines huic ma-

lo maximè proclives reddunt, meritò recensentur: hi quoque qui morbum jam antea passi sunt, levi quâvis occasione datâ, in eum iterum multò faciliùs incidunt.

Quare damna quæ ex his causis oriuntur in hepar præsertim incumbunt, scitu haud ita expeditum est; ultra dubium autem constat, multas causas, quarum nonnullæ potiùs leves apparent, gravissimos effectus in hepar edere. Frigus corporis superficiei subitò admotum, potusve frigiduli in ventriculum assumpti, præsertim si corpus præter solitum calet, ad morbum inducendum valent.

Hepatitis haud rarò febribus remittentibus diu protractis, vel continuis gravioribus, supervenit*. Nonnunquam animi pathemata graviora, ut ira et mœstitia, morbum inducunt. Injuria quoque externa, ut ictus regioni

* CLARK. pag. 272. ad 279.

gioni hepatis illati, vel etiam calvariae fractura, hepatitidem acutam excitant. In regionibus calidis, labor gravis, vel exercitium nimium, praesertim sub sole ardente, ansam morbo praebent.


Calculi quoque in ductibus infixi, vermes, aqua impura, et vegetabilium defectus, inter causas excitantes recensitae fuere: quarum plures ab auctoribus describuntur; supra autem memoratae, utpote morbum frequentius concitantes, notatu dignissimae sunt.



CAUSA PROXIMA.

PARUM haecenus profecerunt auctores in causa morborum proxima investiganda, et de inflammatione multa subtilius excogitata fuere, quae parum ad nostrum propositum spectant; ex causis autem et signis morbi, et ex modo quo circuitus sanguinis per hepar absolvitur,

absolvitur, hepatitidem acutam, ex aucta venæ portarum, et præsertim arteriæ hepaticæ actione, pendere, colligere æquum est.



PROGNOSIS.

HÆC ex duratione et vehementia signorum, ex ægri constitutione, et ex statu corporis priusquam morbus invaserit, petenda est.

Febris ardens; delirium subinde accedens; singultus; dolor acutissimus; vomitus biliosus, et diarrhœa, sudore olido e toto corpore diffluente, cum maxima virium prostratione, vultu squalido, et pulsu admodum debili, et irregulari, pessimè augurant. Si signa mitiora fuerint, et remediis ritè adhibitis cedunt, etiamsi debilitas haud exigua adsit, prognosis non ita infida est.

Si

Si corpus soli fervidiori diu expositum, haud parùm fractum fuerit ; et æger ex morbis prægressis valetudine minimè commodâ fruitur, pessima quæque ex inflammatione hepatis timenda sunt.


Si morbus in hepatitidem vetustam abierit, judicium de eventu cautissimè ferendum est : etsi enim remediis idoneis nonnunquam cedit, sæpè pertinaciter his resistit ; et æger, debilitate gradatim ingravescente, tandem omninò exhaurit. Timendum est porò, ne ad acutam speciem iterum revertat, causâ levissimâ excitante admotâ.

Si suppuratio accesserit, prognosis plerumque infausta est : si tamen tumor ad partes externas planè vergit, et fluctuatio percipi potest, nil vetat quo minus ope scalpelli aperiri possit ; et pure foras prorumpente sanitas restituitur : sæpè autem altera vomica altius in hepate insedit, quæ seriùs ociùs pus in
cavum,

cavum abdominis effundit, et hoc modo vitam extinguunt.

Scirrhus non ægrotantem in apertam perniciem statim præcipitat ; viribus autem resolutis, morbis tristissimis, qui rarò medicinæ auscultant, originem præbet.

Si gangræna supervenit, omnis salutis spes abjicienda est.



MEDENDI RATIO.

CONSILIA medendi hoc cardine præsertim nituntur, ut morbum quamprimum ad resolutionem perducamus, et ut signis molestis quantum fieri potest, obviam eamus. Sunt quoque quædam terminationes hepaticis acutæ, qui medelam sibi propriam exposcunt.

In

In omni morbo ubi inflammatio acuta ad-
est, regimen antiphlogisticum sedulò adhi-
bendum est; et quodcunque irritationem
adaugeat, assiduè amovendum.

Ad *sanguinis detractionem* statim ab initio
decurritur, præsertim in regionibus frigidis;
in plagis autem australibus, ubi vires ex ca-
lore fervente haud parùm sæpè relaxantur,
talis evacuatio, parcâ admodum manu cele-
branda est, ne vires jam labefactas omninò
opprimat. Quantitas sanguinis detrahenda,
ex ægri constitutione, e doloris gradu, et
pyrexiaë signis, pendeat. Sanguinis detrac-
tio donec hæc signa graviora remiserint,
iterari debet; non enim vetitum est, ad ve-
næsectionem sæpiùs confugere, si diathesis
phlogistica adhuc conspicua fuerit, et arteriæ
pleniùs et validiùs micant: si autem arteriæ
se submittunt, et vires defecerint, ex vena
incisa maximum periculum imminet.

Topica

Topica sanguinis detractio in morbis inflammatoriis multùm prodesse solet, et sine periculo plerumque adhiberi potest; parva enim quantitas ex parte affecta detracta, sæpè multò plùs valet, quàm sanguinis missio generalis utcunque copiosa fuerit.

Vesicantia multùm prodesse solent, et passim usurpantur: duplice modo forsan proficua fiunt; evacuatione enim quam proliciunt, et irritatione forsan quam exteriùs ab partibus internis avocant, utilia reperiuntur. Tussim quoque et dyspnœam sæpè haud parùm mitigant. Emplastrum exulceratorium amplum regioni hepatis imponendum, et sæpiùs iterandum est: hæc præsertim necessaria fiunt, ubi repetita sanguinis detractio, propter debilitatem et alia signa, parùm convenit.

Cathartica in phlegmasiis plerumque in auxilium opportunè veniunt. In hepatitide acuta, mitiora solummodò usurpari debent; et quæ alvum blandè et leniter ducunt, stimulantibus

lantibus et fortioribus semper anteponenda sunt. Hæc enim stimulo quem hepati jam nimis irritabili impertiunt, multum nocent. Debilitas prætereà catharticis acrioribus ferè supervenit, et haud parum detrimenti hoc morbo laborantibus afferat. Inter laxantia quæ alvum molliùs sollicitant, sales neutri aquâ satis diluti, maximè in usu sunt. Si autem ventriculus hos non retinere potest, pulvis jalapæ compositus, vel sub-murias hydrargyri, assumi possunt. Nausea et vomitus nonnunquam ita urgent, ut laxantia per os assumpta statim rejiciuntur: in hujusmodi exemplis, enemata leniora subtèr infundenda sunt.

Emetica acriora certissimè nunquam sunt usurpanda. Cùm autem ventriculus bile oneratur, et nausea continuò vexat, nil vetat quo minus ope aquæ tepidæ vel infusi chamæmeli vomitus lenis moveatur.

Diluentia et Refrigerantia, ut in aliis inflammationibus, hîc quoque locum obtinent: sitim temperant, et sensus molestos qui ex

D

felle

felle in ventriculo accumulata oriuntur, sublevant.

In regionibus calidis, medici sanationis spem in hydrargyro præsertim ponunt: non ad usum ejus decurritur, priusquam signa inflammationis subacta fuerint; stimulus enim quem hydrargyrus corpori impertit, hujusmodi signa exasperet.

Sæpiùs sub forma unguenti usurpatur, quod iis partibus, quæ absorbentibus vasis maxime scatent, affricari, vel partibus exulceratis admoveri potest. Sub-murias hydrargyri, seu calomelas, sæpiùs internè assumitur. Hæc præparata, donec salivam satis copiosè concitaverint, continuari debent; hæc enim aucta, ad morbum solvendum conferri habetur.

In multis exemplis ubi salivam ciere, propter gingivas nimis induratas, haud facilè est, has et os internum hydrargyro perfricâsse non alienum foret.

Beneficia

Beneficia quæ ex hydrargyro in lue venerea accepta fuere, ex oxygenio ejus corpori tradito pendere multi nuper opinati sunt; et eodem concilio ad acidum nitricum et oxy-muriatam potassæ nonnulli confugerunt.

Eodem fundamento, quidam acidum nitricum pro remedio in hepatitide usurparunt. Nequaquam autem constat, hydrargyrum ex oxygenio quod continet solummodò utilem fieri; nec probatum est acidum nitricum in elementa resolvi, et oxygenium corpori præbere: nec sanè dotes compositi cujusvis, ex uno magis quàm ex alio principio pendere, quod in ejus compositionem intrat, affirmare rationi congruum est. Hanc autem litem, nostro proposito alienam, aliis dijudicandam relinquo.

Sunt signa quædam per totum morbi decursum sæpè molesta, quæ levamen exposcunt. Cùm tussis, singultus et vomitus nimis vexant, opiatas consopienda sunt: si ventriculus

trculus hæc retinere nequit, moschus forsan proderit; hoc enim remedium in vomitu qui in cholera venit, compescendo, haud parùm valere nuper repertum est, cùm ventriculus alia statim rejecerit.

Ad diarrhœam colliquativam, cùm occurrat, inhibendam, quæ vires exhauriendo multùm nocet, opiata et astringentia usurpari debent.

Nunc pauca de remediis quæ quibusdam terminationibus hepatitidis accommodantur, dicenda veniunt.

In hepatitide chronica, hydrargyrus sub forma unguenti admotus, remedium efficacissimum meritò habetur: in usu ejus donec signa remiserint, perstare debemus, salivâ per quoddam tempus copiosiùs motâ.

Quoniam sanguinis detractio minimè convenit, haud parum commodi ex epispasticis
regioni

regioni hepatis subindè admotis percipi solet ; et sanè in hac specie hepatitidis tractanda, his et hydrargyro peritè adhibitis præ aliis fidentum est.

Ad debilitatem tollendam quæ hepatitidem chronicam comitatur, præsertim cùm speciei acutæ supervenerit ; cinchona, amara, præparata ferri, et alia roborantia, administrari debent.

Diæta nutriens, concoctu facilis, præscribenda est, et pauxillum vini ad vires reficiendas parcè concedi potest. Omnia quæ corpus calefaciunt, et excitant, et etiam quæ mentem agitant, cautissimè evitanda sunt. Laxantia quæ alvum leniter solutam teneant, commodè assumi possunt. Si aliquid boni e his remediis speramus, in eorum usu per tempus haud breve perstare omninò necesse est.

Cùm morbus in suppurationem desinit, medicina parùm valet, nisi tumor sponte, vel
ope

ope chirurgicâ, pus foras effundat. Bonum quoque est, si pus per ductus biliferos in intestina transeat.

Cùm abscessus extrorsum vergens planè conspicitur, eum statim scalpello incidere convenit: aliter pus in cavum abdominis erumpat. Post pus evacuatum, ulcus apertum servandum est, donec intus sanatum fuerit. Si pus copiosius profundi perstat, astringentia, ut acidum sulphuricum, quod quoque sudoribus heclicis occurrat, prodesse possunt. Vires quoque ægrotantis, tonicis, diætâ lautiore, et vino, restaurandæ sunt; eadem quoque si pus per intestina evacuetur, conveniunt: nec alienum foret alvum enematis emollientibus ducere. Monendum est, si res post suppurationem factam benè cedit, ægrum vires lentè admodum recuperare; signa gradatim mitiora evadunt, et salutis munera tandem restituuntur.

Quod ad scirrhum attinet, morbus plerumque pertinacissimus est: Hydrargyro tamen,
diætæ

diætæ idoneæ, et tonicis remediis, nonnunquam cedit. Omnia quæ irritant sedulo amovenda sunt.

Plerumque post acutam hepatitidem fugatam, æger diu debilis et languidus remanet; et ex causis levissimis in morbum incidit: in tali corporis statu, nil tantum in pristinis viribus revocandis valet, ac in aliam regionem migratio; quæ, cum fieri potest, præ omnibus suadenda est.

Qui ex regionibus calidis in frigidiores migrant, ad tantam mutationem subeundam semet gradatim assuefacere debent; omne enim nimium nocet. Vitæ ratio quoque statui ægrotantis accommodanda est: diætæ levis et nutriens convenit; et omnia quæ irritant, vel morbum reducere periclitantur, procul absint; donec illa vis corporis et animi, quæ Europæi languidos et enerves Indiæ nativos tantum superant, iterum constet.

hinc inde, et tunc etiam in
omni parte. Quia quodlibet
revertitur.

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi

et tunc post eorum huiusmodi